10

DE CHRISTI
MONOGRAMMATE CONSTANTINIANO
DISQUISITIO

Auſpiciis Emi & Rmi S.R.E. Cardinalis

ALEXANDRI ALBANI

HABENDA IN COLLEGIO ROMANO

A P. PHILIPPO ERHART

Ordinis Sanctiſſimi Salvatoris, vulgo Sanctæ Birgittæ
in Altomünſter Superioris Bavariæ Cœnobio Profeſſo

ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ AUDITORE

Facta cuilibet poſt ſecundum arguendi poteſtate

ROMÆ MDCCLXXVI.
EX TYPOGRAPHIA GENEROSI SALOMONI

SUPERIORUM PERMISSU.

Eminentissimo, & Reverendissimo Principi

ALEXANDRO

S. R. E. CARDINALI

ALBANO

PHILIPPUS ERHART ORD. SS. SALVATORIS

FELICITATEM

QUI in hanc Urbem omnium principem, longo viarum terrarumque intervallo, ſtudiorum cauſa profecti ſumus, EMINENTISSIME PRINCEPS, hoc nimirum volumus; non ut Romæ novam veluti faciem, recentemque ædium magnificentiam, Templorum ſplendorem, viarum laxitatem, populi

frequentiam, fora, porticus, fontes, ornamenta cetera intueamur, sed disjectas priscæ Romanorum majestatis reliquias, semisepulta rudera, parietinas, vestigia denique veteris Urbis, quæ partim longinquitati temporum, partim barbararum gentium insultibus superfuerunt, non oculis modo contemplemur, sed peritum nacti interpretem aliquem, cognitione nostra & intelligentia comprehendamus. Sunt enim ad historiam sive Ecclesiasticam, sive civilem penitius hauriendam, doctorum hominum judicio, perneccessaria subsidia. Hanc ego habui itineris hujus mei causam: hæc, non tam mea, quam illorum quibus me regendum commisi, voluntas, ex Germania excivit: hujus fructûs colligendi spes in hanc me Urbem perduxit. Sed posteaquam feliciter omnino contigit, ut Te, EMINENTISSIME PRINCEPS, viderem, dignarerque a Te (pro ea qua religiosam familiam nostram per quinquaginta jam, & amplius annos Protector munificentissimus, benevolentia complecteris) colloquio & congressu Tuo; sensi, vetustius illud usurpandum esse mihi quoque; ut Romæ aliquid extra Romam quærerem; Te nimirum, & Tua: quibus nihil magis ad absolutam perfectamque veterum Romanarum rerum cognitionem assequendam valeret. Quæ ego vidi in suburbano illo Tuo signa, anaglypha, lapides, columnas, inscriptiones, æreas marmoreasque tabulas, vetera cujuslibet generis monumenta, Græca, Romana, Etrusca, barbararum gentium, alia ab interitu a qua prope aberant, vindicata, alia pristinæ luci & integritati restituta! Qua te doctrina, & eruditione illa edisserentem, repetentemque

que ex ultima antiquitate hiſtoricas, mythicaſque explanationes audivi! ut tunc denique verum eſſe intelligerem Catonis illud, quod Tullius perhibet; Summorum virorum non tam negotii quam otii rationem extare: nullum etiam ad illa cognoſcenda interpretem adeundum eſſe, præter Te ipſum, a quo in hiſtoriam omnem fructus mihi uberrimus & maximus redundaret. Nunc ergo, poſtquam in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudio Te potiſſimum jubente, tres ipſos annos poſui, profectûs & induſtriæ meæ ſpecimen aliquod editurus; non putavi, diſquiſitionis ac concertationis hujus meæ Præſidem, & quaſi Agonothetam quærendum, niſi illum, a quo mihi aditus omnis ad hiſtoriam, & Romanas, Græcaſque antiquitates patuiſſet: præſertim cum in eo argumento verſer, in quo earum maxime cognitio valeat neceſſe eſt. Sum enim de Chriſti monogrammate diſceptaturus, quale a Conſtantino viſum, deinde labaro, ideſt Romano vexillo, ſcutis, galeæ impoſitum inſculptumque eſt. Vellem, commonſtrare ipſe exemplo meo poſſem, quantum ad hujuſmodi rerum cognitionem juvet ſupellex & diſciplina Tua. Sed quòcumque tandem res evaſura ſit (ſentio enim ingenii mei vires quam ſint exiguæ), hoc tamen conſequar, ut teſtimonium a me extet, debitum illud quidem, ſed a volente lubenteque perhibitum; quod præſtari a te poſſet, ad me erudiendum informandumque, totum id eſſe collatum: quod quidem meritis in meos, & Religioſum Ordinem univerſum quem profiteor, cumulus veluti quidam accedet. Sunt enim multa Tibi in nominibus quibus exſolvendis nunquam ſit ille par futu-

rus. Et primò quidem, cum pertineant ad Te, virtutis & benevolentiæ quasi legitimum hæredem, magni Patrui Tui in nos merita; multum est quod illi, ejusque in nos largitati & clementiæ debeamus; quod evocatis e Bavaria nostrorum aliquot, domum S. Matris nostræ Birgittæ contubernio & morte consecratam, inhabitandam assignavit, ut familiæ nostræ Romæ veluti parens, auctorque jure meritoque habeatur. Deinde quantum Tibi ipsi debemus, quod hoc eodem in loco sexaginta jam annos, protegente Te, familia nostra libere secureque conquiescit: quod Monasterium ipsum in Germania meum ornamenta adeptum est opera Tua præclarissima & maxima: quod faciles ad te aditus omnes nostri, nec unquam intercluſos inveniunt; quod nullo non tempore præsentissimum rebus suis auxilium, levamen, præsidiumque experiuntur? Hæc cum tibi coram affirmare & testari omnibus possim, gaudeo equidem, atque exulto EMINENTISSIME PRINCEPS: & si nullum præterea fructum peregrinationis meæ consecuturus sum; bene collocata viæ incommoda, bene obitas itineris molestias, & laborum dispendia arbitrabor.

DE

DE CHRISTI

MONOGRAMMATE CONSTANTINIANO

THESES

1. CONstantino bellis occupato acies cœlestium visæ sunt, ad eum adjuvandum accurrentes; quod ab Ethnicis Scriptoribus traditum non est cur negemus.
2. Visum hoc oblatum est Constantino cum in Gallia esset.
3. Distinguendum autem ab eo quod de Cruce seu Christi monogrammate narratur.
4. Visum hoc alterum oblatum est Constantino, cum bello adversum Maxentium occuparetur, in locis Romæ proximis.
5. Aliud vero vigilanti, aliud dormienti factum est.
6. Utrumque distinguendum; & est verum utrumque.
7. Visa autem in his Crux est, & Christi monogramma.
8. Duo hæc distinguenda non sunt, sed Crux erat monogrammati inserta, seu ipsum monogramma.
9. Adjectæ litteræ erant, quæ victoriam pollicebantur, si eo signo usus in militari instrumento esset.
10. Litteras fuisse Latinas non Græcas, probabilius esse existimamus;
11. Atque hanc sententiam *Hoc signo victor eris*.
12. Ex Actis Artemii Martyris confirmari hoc merito potest; quæ hac in parte sincera sunt.
13. Non est hoc quod Constantinus vidit ad causas naturales referendum, nec phœnomenon ex genere halonum solarium; ut Fabricius, Schmidius, Walchius contendunt.
14. Sed mira omnino res & divinitus facta.
15. Quod Constantinus vidit, hoc in labaro, scutis, galea expressum voluit.
16. Labarum sic recenti nomine dictum, re Constantino fuit antiquius: utrum vero origine Romanum, an Barbarum, ut Ducangius existimat, nobis non constat.

17. Labaro addidit Conſtantinus Chriſti mono gramma.
18. Conſtantinianum monogramma aliud eſt a vulgari, quod conſtat litteris Grecis X P ſitu hoc recto poſitis, ſimulque innexis.
19. Conſtat autem littera X tranſverſe poſita, cujus latus modice eſt inflexum, ut efficiat litteram alteram P.
20. Vulgatum, multo eſt Conſtantino antiquius, ſignificationibus tamen aliis.
21. Ad Chriſtum ſignificandum adhibitum eſt etiam ante Conſtantinum.
22. Noſtrum hoc monogramma, quod Chriſtum ſignificaret, ante Conſtantinum uſitatum demonſtrari vix poteſt.
23. Nihil huc faciunt Ægyptiaca monumenta aut alia quorumcumque populorum.
24. Nec tamen negamus vulgare monogramma, Conſtantiniano & ſequentibus ſæculis, uſitatum fuiſſe, atque a Conſtantino ipſo uſurpatum.

DE MONOGRAMMATE CHRISTI CONSTANTINIANO

DISQUISITIO

MIRATUS ſæpe ſum, viros prudentes & doctos, cum maxime laborant ut perſpicui ſint, tunc fieri obſcuriſſimos; & quam rem ſe ita explicaſſe putarant, ut a quovis intelligi nullo negotio poſſet; eam incurrere in magnas virorum intelligentium diſceptationes atque diſſidia. Quod in Euſebio Conſtantinianum Chriſti monogramma deſcribente contigit. Nullibi fortaſſe ille, aut plurium apparatu verborum, aut majori orationis ubertate rem aperire conatus eſt; ſed nullo alio in loco mihi quidem videtur ita verſatus, ut quid ſibi velit, dubitari etiamnum a viro Græce intelligente poſſit; ſitque a vulgari hominum etiam eruditorum opinione diſcedendum.

Quod ut demonſtrem, duo in primis conſtituenda ſunt, in quibus controverſiæ hujus cardo vertitur: nimirum, Crucis Signum vidiſſe Conſtantinum; Signum vero hoc Crucis, minime fuiſſe a monogrammate, quod Chriſti nomen primis litterarum apicibus indicabat, ſejunctum atque diverſum.

Horum primum facile eſt, veterum teſtimoniis demonſtrare. Nam Euſebius, qui ex Conſtantino ipſo rem ſe audi-

visse narrat ; *L.1. V.C. c.28.* illum scribit *Crucis trophæum* (σαυρᾶ τρόπαιον) *in cælo ex luce conflatum soli superpositum* vidisse. *Crucis signum* (τὸ τῆ σαυρᾶ σημεῖον) nominat Philostorgius *l.1. n.6.* Sozomenus *l.3.* & Chronicon Alexandrinum *p.280. edit. R. P.*, *lucis columnam instar Crucis* (σύλου φωτὸς σαυροειδῆ). Auctor Politiæ SS. Metrophanis & Alexandri apud Photium *cod.256.* apparuisse ait Constantino *figuram Crucis* (φανέντος τῆ τύπῳ σαυρᾶ ; Socrates *l.1. 2. lucis columnam instar Crucis* (σύλου φωτὸς σαυροειδῆ) ; a Cedreno describitur *venerabilis Crux e luce* (ὁ τίμιος σαυρὸς ἐκ φωτὸς) : a Zonara *figura Crucis* (τύπος σαυρικὸς) *per stellas*, quæ a Constantino visa est. Adversabimurne tanto Scriptorum consensui, vel antiquorum, vel qui sua solent ex antiquis decerpere & mutuari? Qui, si in adjunctis quibusdam inter se dissident, hòc magis, ex Criticorum regulis audiendi in rei summa sint, quod satis manifeste ostendant, non antiquiorem unum aliquem scriptorum secutos esse omnes, sed ex pluribus veteribus monumentis, quasi fontibus, narrationem illam in libros suos corrivasse. Tantum abest, ut ex hac in minutis quibusdam rebus discordia (quæ minus attendi solent, & facile effluunt e memoria) rem ipsam dubiam facere debeamus ; quod Gothofredus *ad Philost.* conatus est : aut cum Oiselio *ad Tab.93.* Tollio *ad Lactant.* atque aliis quibusdam, Constantini solertiæ (idest astutiæ & fraudi) ad inflammandos confirmandosque militum animos, assignare. Nec vero concedimus Samueli Basnagio *ad a.312. n.5.* Jo. Columbo *ad Lactant.* ceterisque maxime heterodoxis hominibus, dormienti solum Constantino, non vigilanti, quod veteres id nonnulli taceant, Crucem aut monogramma objectum. Quid? Nonne refellemus eos quoque, qui ad naturales causas malunt visum hoc referre, & nescio quem halonem solarem comminiscuntur, cui sit hoc totum quod Constantinus vidit tribuendum? Miror & Fabricio viro docto id in mentem venire potuisse, & nactum esse qui ei consentirent Jo. Andream Schmidium, & Joannem Georgium Walchium. Quantum enim abhorret ab omni veri specie, ut cetera omittam omnia, Deum in somnis se Constantino commonstrasse, utque in militaribus signis, ad obtinendam victoriam, halonem effingeret, præcepisse. Id enim Eusebius tradit, aliique Veterum, ex quibus duo hæc visa Constantino objecta, alterum vigilanti, dormien-

mienti alterum, distinguenda omnino esse dicimus. Sed nihil horum ad causam nostram facit; qui qualia demum fuerint, quæ antiqui scriptores & Constantinus ipse sibi visa esse dixit, dumtaxat quærimus: utrum vera dixerit, nou quærimus. Et sunt etiam ab aliis satis fuse ista refutata, hoc alterum a Scurzfleischio, & Matthæo Jacutio; primum illud a Baluzio, & Jo. Christophoro Wolfio viro heterodoso *dissert. edita Wittelergæ an.* 1706.

His ergo præteritis quæ ad nos non spectant, venio ad alterum quod proposui; Crucem a Constantino visam, rem aliam & a monogrammate diversam non fuisse. Hoc eorumdem scriptorum quorum antea auctoritate usi sumus, testimonio conficitur. Nam ut Eusebium nunc omittamus, Socrates, Sozomenus, itemque Cedrenus, Zonaras, denique omnes qui in labaro & militaribus signis quid, Dei monitu, Constantinus representari mandaverit, narrant, nihil nisi Crucem nominant, *Hoc inductus oraculo*, ait Socrates, *trophæum ad Crucis similitudinem construi jubet, quod etiamnum servatur in Palatio: deinceps vero majore fiducia animi rebus agendis incubuit.* Sozomenus, *in Crucis Signum transformatum labarum* dicit. Cedrenus, *aureum Crucem, quæ etiamnum extat, tumultuario opere confectam præferri in pugnam jussit.* Zonaras; *statim igitur Cruce ex auro ad formam quam viderat facta, & exercitui suo præferri jussa, commisso prælio Maxentium vicit.* Ceteri quid labaro, quid signis militaribus insculpserit, tacent. Omnes ergo qui rem narrant, Crucem, nec quicquam præterea nominant: quemadmodum, cum ostentum Constantino oblatum referebant, de Cruce sola loquebantur. Atqui monogramma quod primis nominis Christi litteris duabus constabat, & Constantinum vidisse, & in signa militaria retulisse atque exhibuisse, certissimum est. Hoc Eusebius *l.* 1. *V.C. c.*30., hoc qui tum vivebat *A. de mort. pers.* diserte prodit; *Commonitus est*, ait hic scriptor *n.*44., *in quiete Constantinus, ut cœleste Signum Dei notaret in scutis, atque ita prælium committeret. Fecit, ut jussus est, & transversa X. littera, summo capite circumflexo, Christum in scutis notat.* Rursus igitur quæro, cur vel iste Crucem tacet, vel alii de Cruce sola narrant? Nonne hoc manifesto argumento est, nec Crucem a monogrammate aliud quicquam fuisse, & monogramma ipsum complexum esse Crucem? Nisi enim nos ipsi de ingenio nostro absque auctoritate ulla comminisci ali-

quid velimus, & arbitrio quemque suo rem constituere finamus; expediri hoc nullo modo, quam quo diximus, unquam potest; Crucem & Christi monogramma, rem unam eamdemque fuisse.

Atque hic quidem locus postularet, ut de Christi monogrammatis multiplici genere, & plane diverso loqueremur. Sed & brevitatem sequimur, & in vulgaribus libris proposita ea sunt; atque ut Gretserum & Lipsium *in libb. de Cruce* taceamus, a Baronio *t. all.*, a Bosio, Aringho, & Boldetto *t.* II. *cap.* 3. & Cl. Bottario, Romæ subterraneæ scriptoribus omnibus; a Menckenio *Diss.* III. & Dominico Georgio *de Chr. monogr.* ab Equite Victorio *de numm. argent.*, Edmundo de Vitry *tumul. Clem. illustr.* Sebastiano Pauli *de paten.* Thoma Mamachio *to.* 3. *origin.* & nuper a Cl. Morisono *Inscript. Rhegin. X.* Dicemus hoc solum; ex illis genera esse præcipua duo; quæ uno eodemque in monumento conjuncta quandoque reperiuntur; ut in lapide cœmeterii Cyriacæ *ap. Boldet. pag.* 352. & in tumulo Sanctuli Subdiaconi apud Muratorium *Diss.* 58. *AA. med. æv.* Primum est vulgare, quod litteris Græcis duabus, unde Christi Græcum nomen exordimur, constat, directe & consueta collocatione positis, sed una alteri inserta, idest P inter X brachia sic ☧. Alterum vero litteris componitur iisdem, sed prima transverse posita, cujus etiam superius crus modice retortum litteram alteram efformat hoc modo ⸸. Nam hoc esse & duabus iisdem constare litteris hoc alterum monogramma, facile deprehendes, modo superius crus illud inflexeris, ut X litteræ suus locus & situs constet (quemadmodum positum reperitur in Christianis aliquibus monumentis, & apud Gretserum *lib.* II. *cap.* 46.) hac ratione ✠

Jam vero monogrammata hæc duo sumamus in manus: Quis in priori illo vulgari Crucem, oculis quantumcumque lynceis videat? Quis, si illud Constantino Ethnico tunc Imperatori ostensum est, dicat demonstratam esse Crucem, & si effictum in labaro, scutis, galea; sculptam effictamque Crucem audeat pronuntiare? Contra, quam pronum & facile est in altero Crucem agnoscere: & si commonstratum illud expressumque fuit; Crucem ostensam & repræsentatam affirmare?

Quod adeo verum est, ut qui vulgare monogramma adhiberent, & nihilominus Crucem inesse vellent; vel tranversa linea primam litteram secarent in modum Crucis, ut extant exempla apud Gretserum *l.* II. *de S. Cruc. Tom.* I, *cap.* 38. hoc pa-

pacto ☧ unde extitit aliud haud infrequens monogrammatis genus ✠; vel effingerent diverso quodam nec consueto modo caput alterius litteræ, producta in ejus vertice recta linea, quæ Crucem quam vocant *commissam* (de qua fuse Gretserus & Lipsius) demonstraret. Extat exemplum hujus in lucerna apud Menckenium aliosque, ubi ita efformatum monogramma cernitur ✠. Alii vero, quod sibi, credo, in eo non satisfacerent, contenti fuere Cruce decussata quam prior illa littera per se efficit, ad mysticas significationes quasdam (quoniam Christi Crucem non esse videbant) confugientes: in quibus est Paulinus scribens *Natal.* XI. *S. Felic. & Aneed. Murat. tom. I. pag.* 42. de Christo

Qui Cruce dispansa per quattuor extima mundi
Quattuor attingit dimensum partibus Orbem;
Ut trahat ad vitam populos ex omnibus oris.

Quamquam aliud quoque excogitavit Paulinus. Et quoniam ipse quoque litteræ alterius verticem diducebat paullo longius ut Crucem, seu T litteram daret; litteras omnes sex (nam quæ bis occurrit pro una habetur) quibus nomen Christi ideft Græcus XPICTOC, constat, in monogrammate vulgari adinvenit: sic enim ille *ib.* postquam de prima littera locutus est, & P descripsit;

Cujus apex & signa tenet, quod rursus, ad ipsam
Curvatum virgam, facit O, velut Orbe peracto.
Nam rigor obstipus facit I, quod in Ellade jota est.
Tau idem stylus ipse, brevi retro a cacumine ductus
Efficit, atque ita sex, quibus omni nomine nomen
Celsius exprimitur, coeunt elementa sub uno
Indice, & una tribus formatur littera virgis.

Non fuisse hoc Paulini solius sed veterum aliorum Christianorum quorumdam, facile conjicio ex illorum monumentis quibusdam, quorum unum habet Boldettus *pag.* 345., alii alia: nam litteram alteram exhibent inverso situ positam; quod non fuit artificum inscientiæ aut imprudentiæ, ut existimant, sed mysterii. Deinde (quod videre possumus maxime in lucernis veteribus Christianis apud Equitem Victorium, Georgium, Mamachium &c.) vertex litteræ alterius retro extenditur, & excurrit etiam inferior retorti verticis pars ultra rectam hastam hoc modo ☧ ut scilicet O & C ideft sigma iisdem ferme tractibus efformaretur. Vides quam ingenioli isti fuerunt (quoniam Crux, quam palam de monstrarent, per se non occurrebat) in illa unde

unde

unde eruenda, atque extundenda. Nec mirum est, ex hac consuetudine, seu voluntate istius mysterii habendi, in alterum quoque genus monogrammatis quædam horum esse transducta. Atque hinc sunt Crucis formæ illæ duæ, quas nobis Paulinus descripsit, & quas attigerat antea breviter, præfatus *v.*608.

. . . . . *ipsius instar*
Enarrabo Crucis, qualem & pictura biformem
Pingere consuevit; baculo vel stante bicornem
Vel per quinque tribus dispansam cornua virgis

ac deinde uberius

Forma Crucis gemina specie componitur, & nunc
Antennæ speciem navalis imagine mali;
Sive notam Grecis solitam signare trecentos,
Explicat exilem, cum stipite figitur uno,
Quaque cacumen habet transverso rectè jugatur.

Hæc prima Crucis forma: deinde de altera;

Nunc eadem Crux dissimili compacta paratu
Eloquitur Dominum tamquam monogrammate Christum &c.

de qua altera Crucis forma hoc etiam animadvertendum quod dixit, *dispansam* esse per *quinque cornua*: quod hasta alterius litteræ infra nexum superiorum crurium primæ non porrigeretur, quod nummi demonstrant apud Gretserum *lib.*11. *cap.*37. & 46. ubi monogramma sic est conformatum ☧. Ceterum ex his formis monogrammatis duabus, prior illa veram litterarum formam figuramque corrumpit; hæc vero, præter hoc ipsum, ita avide atque sollicite mysteria exquirit, arcessitque longissime, ut nescio, an repertura sit qui eam probet.

Redeo ad monogramma nostrum, quod crucem objicere ei qui oculos habeat, quivis fateatur. Esse vero sæculi Constantiniani, & Constantino æquale, constat. Nam, ut cetera taceamus; illud exhibet Constantini nummus apud Mediobarbum *in Const.* Ducangium *Tab.*3. Bandurium *tom.*2. *p.*250. in cujus facie est Constantini caput cum corona ex lapillis, ac paludamento ad pectus, ubi litteræ CONSTANTINVS. MAX. AVG. in aversa parte, cum inscriptione VICTORIA. CONSTANTINI AVG. typus est victoriæ: dextrorsum in area ☧ a sinistris XXII. in imo SMAN. sed plus esse etiam puto illud, quod supra posui Auctoris *de mort.* qui luculentissime de Constantino; *fecit ut jussus est, & transversa* X *littera, summo capite circumflexo, Christum*

ſtum in ſcutis notat. Quid eſt *ſummum caput litteræ* X *circumflectere*? non ne ita eam deſcribere ☧. Atqui etiam *tranſverſe* poni debet: ideſt non conſueto modo & ſuo, ſed obliquo locari +. Hæc ita clara ſunt, ut Gisbertus Cuperus non potuerit ad hunc illius Scriptoris locum non fateri, id monogrammatis genus quod nos dicimus, ab eo Auctore deſignari.

Sed repugnat nobis Baronius *l. all.* Gretſerus *tom.* 1. *lib.* 11. *de S. Cruce cap.* 37. & cum his multi; qui cum illud in animum demiſerint; Conſtantinum duo invicem ſejuncta vidiſſe, Crucem, & monogramma; horum primum vel ſummo labaro imponunt, vel in labari ipſius forma quærunt. Eſt etiam Jacutius, qui aliud vigilanti Conſtantino objectum putat, ideſt Crucem; aliud dormienti, nimirum monogramma; ne videlicet in labaro Crucem requirere cogatur. Verum hæc facile veterum teſtimoniis ſuperius prolatis refelluntur, qui & dormientem Conſtantinum explicationem ejus quod vigilando viderat habuiſſe narrant, & unicam rem ſemper nominant, Crucem. Quod vero ajunt Crucis figuram ſuperimpoſitam labaro, hoc alterius labari eſt, quam Conſtantiniani. Nam diverſis modis repræſentari labarum, iiſque a Conſtantiniano diverſis, atque ejus *variatam eſſe figuram* adnotavit ipſe Baronius *ad a.* 312. *n.* 26. Cum enim conſtet, Conſtantinianum labarum velum habuiſſe monogrammati quod intra coronam erat ſubjectum, & in velo Conſtantini ejuſdem & filiorum ejus effigies; modo intra velum depictum monogramma ipſum videmus, modo in velo eodem Crucis figuram: atque ita ſæpe a Conſtantiniani forma, labarum in veteribus etiam monumentis recedit. Nos vero de Conſtantiniano loquimur, quod ſecretam a monogrammate non habuiſſe Crucem, vel inde conſtare debet; quod non in eo ſolum, ſed in ſcutis quoque juſſus eſt Conſtantinus effingere quod viderat. In ſcutis vero Crucem a monogrammate diſtinctam non fuiſſe, apud omnes conſtat. Quo argumento refelluntur illi quoque, quibus forma ipſa labari crucem repræſentat, cum *ex erecto ſtipite & ligno tranſverſo Crux compacta ſit*, ut ait idem Baronius.

Miror, ſi id feciſſe dicunt, monitu cœleſti, ut Chriſti virtute victorem ſe eſſe fateretur. Eratne hoc novum aliquid? inuſitatum, nec factum antea, ut victoriæ cauſa ei certo conſtaret? Atqui jamdiu & labarum hoc modo fabrefactum erat, & Crucis, ut iſti dicunt, effigiem, præferebat. Nolo hic de labari antiquitate

tate differere ; & cum doctiſſimo Ducangio *differt. de infer. æv. num.* 14. inquirere, *an Romanorum proprium vexillum fuerit, an vero illud ii a nationibus barbaris acceperint* ; quod poſtremum *exiſtimare prorſus licere*, idem affirmat : modo conſtet, multo eſſe Conſtantino antiquius. Id vero, ſi cetera deeſſent ; docere poſſunt veteres nummi Auguſti, Tiberii, Vitellii, Titi, Domitiani apud Auguſtinum, Rubenium, ceteroſque horum monumentorum peritos indagatores ; & Columnæ Trajanæ effigies, ubi vel purum invenitur velum, vel cum Deorum imaginibus depictis, vel cum ſuperpoſita victoriæ effigie. Quod vero antennis illis duabus altera recta, tranſverſa altera, Crucis qualemcumque imaginem præſeferret ; hoc vero animadverſum jamdiu fuerat ante Conſtantinum : unde Juſtini illud *Apol.* 1. *n.* 59. de Cruce ; *Hujus etiam figuræ vim declarant vexillorum apud vos, & tropæorum ſigna, quibuſcum ſemper in publicum proceditis*. Minutii etiam Felicis *in Octav. Nam & ſigna ipſa, & cantabra, & vexilla caſtrorum, quid aliud quam inauratæ Cruces ſunt, & ornatæ* ? Nec multo aliter Tertullianus *in Apol. c.* 16. *Religio tota Caſtrenſis ſigna veneratur, ſigna jurat, ſigna omnibus Diis præpoſuit. Omnes illi imaginum ſuggeſtus in ſignis monilia Crucium ſunt. Sphæra illa vexillorum & Cantabrorum, ſtolæ Crucium ſunt.* Nihil ergo erat, ut de Cruce labaro imponenda moneretur Conſtantinus, ſi per ſe labarum Crucem præferebat ; nec oportebat ipſum artifices, ut id facerent, ſumma cura & diligentia, quemadmodum Euſebius narrat, erudire ; viciſſet etiam eo ſigno, quod Ethnici Imperatores omnes bellum geſſiſſent, atque arma hoſtibus intuliſſent : otioſi vero eſſent hiſtorici omnes, qui Crucem ab eo viſam, aut de ea ſignis militaribus imponenda monitum retulerunt. Non igitur hæc Crux illa qua munivit labarum Conſtantinus.

Impoſuit nimirum viris hiſce eruditis Euſebius, cum labarum deſcribens, haſtam fuiſſe dicit longiorem tranſverſam habens antennam (*cornu χερὰς* ille vocat) *inſtar crucis σταυρῷ χήματι*. Sed Euſebius, cum Veteribus illis quos modo nominavimus, Crucem ubique inculcans, nondum de ea Cruce dicit quam & ipſe vidit, & labaro exprimere jubebatur Conſtantinus, quæ poſtea in ejus narratione ſequitur, cum monogramma declaratur. Itaque nemo veterum (ſi Nicephorum Callixti recentiorem multo Auctorem, & qui Euſebium ferme deſcribit, excipias) hoc dixit, aut Crucis in Conſtantiniano labaro iſtam ſimi-

similitudinem adnotavit. Nec vero Eusebium ipsum de visa & expressa a Constantino Cruce, hoc esse accipiendum, ex eo patet, quod subdit postea, *sub ipso Crucis signo ad ipsam veli variis coloribus depicti summitatem* aureas Constantini, & liberorum ejus imagines depictas extitisse. Nam cum imagines istæ ex transversio illo cornu dependerent, non potuere *sub Crucis tropæo* (ὑπὸ τῷ τῦ σαυρῦ τροπαίῳ) esse positæ, si cornu ipsum cum inferiori hasta & labari parte Crucem referebat. Sed piget in hac re, quæ mihi quidem manifesta satis esse videtur, diutius immorari, & ad monogrammatis ipsius formam redeundum est.

Non esse, quale vulgo putant monogramma conflatum ex duabus illis litteris in directum positis, & una alteri inserta, constare omnino debet, ex ipsa Constantiniani monogrammatis novitate, seu raritate & infrequentia. Nam Eusebius quidem Constantinum, ut id exprimendum curaret admonitum, nobis describit medium inter artifices sedentem, edocentemque qua illos ratione effingere monogramma ipsum oporteret, ac voce & veluti manu præeuntem, eosque huc illuc deducentem, ne errarent. Quid hæc Constantini tanta cura & sollicitudo significat? nonne inusitatum aliquid, infrequens, aut etiam nemini visum, & ignotum omnibus? Atqui monogrammate ex duabus litteris illis eo ut diximus modo compositio nihil eo etiam tempore notius, nihil usitatius, nihil quod magis esset vulgo cognitum. Si enim de forma ipsa loquamur, a Grammaticis, Rhetoribus, Poetis passim adhibitam antiquis temporibus invenimus. Quod enim nunc viri solertes & industrii faciunt, ut si inter legendum occurrat aliquid, quod præclare dictum putant, & vel sibi memoria retinendum & in scripta referendum putant, vel alios de eo, ne forte imprudentes trascurrant, admonitos esse volunt, ut notam aliquam margini per litteras vel alio quocumque modo appingant; hoc certis aliquot notis & vulgo cognitis veteres faciebant: inter quas notas una erat hujusce monogrammatis ipsa forma, qua illa esse χρισὰ seu χρήσιμα ideſt *bona* aut *utilia* significabant. Hanc ergo ista figura ✳ apud Isidorum *lib.1. origin. c.20.* pictam invenies: hanc eamdem in fragmento quodam ab A. Chronici Gotvvicensis repræsentatam *lib.1. tom.1. p.25.* (& si illud quod veluti anecdotum quoddam scriptor ille proposuit, nil aliud esse invenies quam Isidorum ipsum verbis aliquot paululum immutatis, seu transpositis): hanc ex veteribus in Isaaci Casauboni Commentariis *ad Platonem Diog.*

Dieg. quam explicat nomine χριστομαθειῶν : hanc apud alios. Fuisse vero notam & pervulgatam Constantini ætate, colligo ex libris IV. χριστομαθιῶν ab Helladio Byzantino scriptis, quos Photius memorat *cod.* 279. & in Græcarum antiquitatum Thesaurum suum *tom.* 10. transtulit Gronovius. Nam Helladium vixisse tempore Licinii & Maximiani, tradit Meursius; & necesse est ante eum illa jam fuisse pervulgata. Adde Procli, discipuli Plutarchi χριστομαθίαν γραμματικὴν, quam nobis servavit Photius *cod.* 239. Adde excerpta Strabonis Geographiæ, quæ appellantur χριστομάθεια ἐκ τῶν Στράβωνος γεωγραφικῶν. Nec verebor de Ptolomæorum nummis hac nota inugnitis dicere, etsi sunt qui reperiri ullum negant aut dubitant. Nam video scribere experientissimum, harum rerum Edmundum de Vitry *Clem. tum. illustr. pag.* 16. *Idem hoc signum etiam ante Christi tempora fuit adhibitum in monumentis veteribus ad ea verba significanda quæ primas litteras Græcas habent* X. & P. *Sane in uno qui penes me est Ptolemæorum Ægypti Regis nummo moduli maximi videtur id, quod & Gretzerus vidisse se testatur in uno ex Bibliothecis Ingolstadiensis Academiæ, quodque in altero viderat Abrahamus Ortelius, nimirum inter duos Aquilæ pedes expressum idem monogramma* ☧. Quid nota hæc valeat hoc loco, nihil nostra refert, qui figuram ipsam tantummodo nunc volumus; satisque eruditorum sententias exposuit cum laudatus Vitry, tum Laurentius Pignorius *epist. simbolic. lib.* 1. *epist.* 24. & Gretserus quoque *lib.* 11. *de S. Cruc. cap.* 38.

Quod si non de hujus monogrammatis figura dumtaxat loquamur, sed significatione ipsa, qua Christi nomen indicaretur: notissimum fuisse ipsum, & Christi nomen signo illo designatum ante Constantinum, negari omnino non potest. Negarunt id quidem eruditi Scriptores ephemeridum Florentinarum *tom.* 2. *part.* 2. *a.* 4. *p.* 127. inscriptiones quatuor hoc monogrammate insignitas, quæ veluti Constantino antiquiores asserebantur, in subsidium fidei suspicionem adducentes. At his sepositis, quid dicimus ad fragmenta vitrea sex, ex pauciſſimis quæ in cœmeteriis inventa sunt, & vulgare monogramma inscriptum habent apud Cl. Bonarota? Quid ad inscriptiones quamplurimas inventas in cœmeteriis, in quibus pariter monogramma hac significatione invenitur? Ego sane in uno Boldetto, & Boldetti operis unico capite quod est libri 11. 3. numeravi plusquam XL. Martyribus vero multæ cum apud ipsum Bol-

Boldettum tum apud alios appositæ fuere. Illo enim loco Boldettiani operis monogramma vulgare una cum vase sanguinis appositum vidi sepulchris XII. in quorum aliquo geminum est. XII. vero alia toto opere dispersa; quod opus, monumenta suo tempore detecta, & cum illo Sacrarum Reliquiarum Custodis munere fungeretur, ferme continet; ita ut necesse sit multo plura inveniri. Atqui ut Cl. Bonarota in *Præf. pag.* XIII. adnotavit, incredibile omnino est, hominum fuisse omnium, qui in Juliani persecutione, quæ unica post Constantinum Romæ adeo afflixit Christianos, defuncti sint; præsertim cum in ea, morte pauciſſimi mulctati legantur, sed durioribus ipsa morte modis afflicti atque vexati. Ex quibus omnibus facile est intelligere, si novum aliquid artificibus Romæ Constantinus, minus usitatum, nec illis cognitum sculpendum mandavit, ita ut eo docente & demonstrante quale esset, indigerent, de alio quam de vulgari monogrammate actum esse; nimirum, ut cetera etiam argumenta docent, nostro.

Nostrum enim ante Constantinum in usu fuisse probari non potest; ita pauca occurrunt exempla, quorum etiam si aliquod Constantino antiquius fuit, potuit facile ignorari. Sed nullum revera demonstrari posse ante Constantinum extitisse, confidenter affirmo. Unicum affert exemplum Baronius in monumento Marciani pueri, defuncti Arbetione & Lolliano Cos. qui est annus 355. Quatuor dumtaxat protulit Boldettus *l. all.* sepulcris apposita, in quibus unus est Martyr: in duobus etiam *pag.* 351. 352. nullum est nomen hominis; nomen est unius *Socratis*; quod postremum exemplum attulit etiam Lupus *in epit. Sev.* Quam pronum est, si sæviente persecutione tumulatos velis, assignare & credere Juliani persecutionem fuisse? Cetera exempla monogrammatis hujus quæ apud alios occurrunt cll. viros Georgium, Victorium, Mamachium &c. extra cœmeteria inventa sunt, & facile ea Constantiniano tempore posterioribus assignabis; ex quibus est unum insigne apud Illustriss. Præsulem Stephanum Borgia in æreo parvulo simulacro feminæ dextera monogramma hoc præferentis, sinixtra, ut mihi quidem visum est, annonariam tabulam in qua feminæ descriptæ essent viduæ seu virgines ab Ecclesia nutriendæ: diaconissæ enim simulacrum esse istud, vestis indicare videtur: Sed erit eruditissimi Præsulis hoc luculenter explicare nosque de tota re condocefacere. De monumentis aliis cœmeterialibus juvabit hic describere Cl. Fabretti ver-

verba *Inscript. famil. pag.* 563. *Crucem hanc rectam loco decussatæ sæpissime visam asserit Job. Burchardus Menchenius in erudita Diatribe de monogrammate Christi; at in nostris raro admodum reperies, nec nisi litteris* A & Ω *comitantibus, semelque addita etiam Cruce decussata.* Nec vero esse aliquem arbitror, qui ut antiquius esse Constantiniano ævo monogramma hoc nostrum probet, Ægyptiacæ Crucis cui orbiculus quidam superponitur, objiciat. Nec enim forma & figura cum monogrammate Christi convenit, multo autem minus significatione; de qua præter Kircherum *de obel. Pamphil. lib.* IV. *pag.* 364., & *Oedip. Ægypt. tom.* 2. *part.* 2. *p.* 399. Paulus Ernestus Jablonski *Panth. Ægypt. part.* 1. *lib.* 2. *c.* 7.

Est tamen quod hic monitos omnes volo; non ita me defendere Constantinianum monogramma fuisse istud minus aut nunquam ante Constantinum usitatum; ut negem, Constantiniano ævo, & a Constantino ipso quandoque adhibitum; frequentatum etiam alterum vulgare, & communi usu tritissimum. Hoc labaro superpositum, & in galea ipsa Constantini effictum, Baronius, prolatis veteribus ipsius nummis, docet; quorum nummorum priorem exhibet etiam Ducangius *Tab.* III. *fam. Byz.* utrumque vero Bandurius commemorat *pag.* 273. 289. 300. Difficile quidem est, quod nam sit in hisce nummis expressum monogrammatis genus, propter figuræ tenuitatem, internoscere. Sit tamen vulgare: nam in Constantii filii Constantini nummis perspicue istud apparet; item in Magnentii; & Decentii, apud eosdem, nummis aliis. Non id causæ nostræ nocet. Nam de monogrammate quod Constantinus primùm vidit, & signis militaribus imposuit quando erat adversus Maxentium pugnaturus, quæstio nostra vertitur; non vero de monogrammate quo usus sit postea, & reliquis suæ vitæ annis. Nam facile credo adhibuisse aliud quoque, cum vulgo adhiberi, & adhibitum multo antea cognovisset, ne consuetudinem illam improbare videretur, aut velle evertere. Est enim consuetudo, cujus magna vis est & auctoritas, si proba sit, fovenda & confirmanda. Atque habebat illa consuetudo, rationem sane probabilem, quod primis litteris distinctius & enucleatius positis, magis perspicue Christi nomen designabatur; Crucis vero imago seorsum, & per se ipsa dudum a Christianis proponebatur & colebatur. Atque idem etiam factum in nummis videmus. Nam ita eorum quosdam Constantinianos exponit Bandurius *pag.* 289. ut caput Constantini *Crucem* habeat, & *Christi monogramma in galea*. In

num-

nummis Conſtantini junioris ſunt plures, in quibus milites duo ſignum militare tenent: eſt autem inter utrumque ſignum Crux perſpicue poſita. Ceterum cum vulgare monogramma expreſſit, conſuetudinem pervulgatam & ipſo antiquiorem ſecutum eſſe Conſtantinum, ex eo perſpicere facile poſſumus, quod monogramma hoc poſitum reperitur, adjectis myſticis illis litteris A & Ω quas adjungi ei ſolere ante Conſtantinum, nummi lapideſque teſtantur. In labaro vero cui vulgare monogramma ſuperimpoſitum eſt, ipſum non eſſe quale primo conſtructum eſt a Conſtantino, facile intelligimus ex eo quod ſerpentem habet in ima haſta; quod corona deeſt, quæ monogramma contineat; quod in velo tres ſunt globuli, non principum imagines, aliaque a priore valde diſſimilia. Quapropter & in monogrammate effingendo, & in conſtruendo labaro quod nummis his repreſentatur, a prima qua uſus eſt forma Conſtantinus receſſit, ut qualis illa fuerit, ex hac poſteriori eſtimari nequaquam poſſit, aut debeat. Atque idem dico de Joviani, Valentis, aliorumque Imperatorum qui ſecuti ſunt nummis, præſertim cum ſublatum de medio labarum & monogramma a Juliano, a Chriſtianis Imperatoribus reſtitutum eſt: ita enim reſtituendum putarunt, ut magis etiam nomen Chriſti, & Crux (quæ ille oderat) perſpicue omnium oculis appareret. Atque hinc, in nummis Joviani & Valentis quos Baronius protulit, intra velum vel Crucem, vel monogramma intuemur. Sicuti ergo in labaro diſceſſum eſt ab illa priori forma quam Euſebius deſcribit, ita in monogrammate Chriſti idem eſſe factum, arbitrari jure poſſumus.

Atque ex his vulgaris monogrammatis frequentioribus hoc ſæculo exemplis, credo aditum datum eſſe communi opinioni; hoc eſſe, quod primum Dei monitu Conſtantinus in labaro vel ſcutis, aut etiam in galea poſuit: cum tamen diſerte de galea præſertim Prudentius ſignificet, Crucem, hoc eſt monogramma noſtrum, in ea fuiſſe: ſic enim ille *lib. 1. adv. Symmachi. verſ.* 488.

Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum, Clypeorum inſignia Chriſtus
Scripſerat, ardebat ſummis Crux addita criſtis.

Quamquam cur ad eam opinionem deſciſcerent viri eruditi, maxime in culpa eſt Euſebius. Dum enim ille, quò rem magis planam faceret, multis verbis utitur, & diligenter, ut puta-

tabát, in labaro; & monogrammate describendo versatur, hoc effecit, ut vel nihil plane, vel quod minus est rectum probumque intelligeremus; quemadmodum initio disquisitionis hujus dicebamus. Sic enim rem describit, ut esset *in longioris hastæ summitate corona affixa, gemmis & auro ornata; atque in ea salutaris appellationis signum; duæ videlicet litteræ nomen Christi primis apicibus designantes*, χιαζομένω τῶ ρ κατὰ τὸ μεσαίτατον: quæ Græca verba ita latine vertit Christophorsonus; *erat littera ρ in ipso medio litteræ χ curiose & subtiliter inserta: quam* versionem miror Cll. viros Boldettum & Sebastianum Pauli esse secutos; immo etiam ita reddidisse Gretserum *l.* II. *de S. Cruc. c.*37. Nam hoc est, non auctoris sensa explicare, sed rem componere arbitratu suo. Valesius interpretatur; *littera ρ in medio sui decussata*. Bene, si quid sit *litteram hanc decussare* intelligere plane possemus. Sed & multiplex est latini hujus verbi significatio, de qua Gulielmus Budæus *de asse sub init.*, & Bernardinus Baldus *de Vitruvianorum verborum significatione*; & ex illis nulla in litteram uno apice seu ductu constantem convenire videtur. De verbo autem Græco χιάζειν idem dicas. Est enim illud primo Muscorum. Quamobrem Hesychius & Phavorinus χιάζειν explicant σφριάζειν, idest, docente Polluce *l.* IV. *v.* 9. *n.*65. *elaboratis carminibus uti a Democrito Chio, & Philoxeno Sipbnio*. Atque hinc apud Suidam illud ex deperdito quodam Aristophanis loco, ἐν ἀρμονίαις χιάζων ἢ συφριάζων. Est Monetariorum vox. Nam Athenienses, quod Chios odissent, quicquid probæ monetæ non erat, quasi esset Chiorum, prima eorum nominis littera notabant, dicebantque χιάζειν: de qua re & Eustathius *ad Odyss.* II. *v.* 170. *pag.* 1462. *edit. Rom.* & alii veteres Grammatici: a quo more translatum est etiam idem verbum ad versus qui spurii erant indicandos. Est Medicorum; & Aretæus *lib.* I. *de morb. diut. c.* 7. *pag.* 34. *edit.* 1731. χιασμὸν nominat, cum nervi ad oppositas partes in decursu se transferunt; & quæ erant ἐν δεξιῶσι, fiunt τὰ ἀριστερά, & contra; quemadmodum loquitur Hippocrates *lib.* VII. *Epidem* a quo sua desumere solet Aretæus. Est Rhetorum; & apud Hermogenem *lib.* IV. *de Inv. cap.* 3. χιασθῆναι dicitur de quadrimembri periodo, cujus partes certo quodam modo sibi respondent. Adde alia, non enim vacat omnia huc traducere, quæ ad litteram, ut dixi, crus unum habentem non duplex, aptari mi-

minime posse videntur. Græcorum vero proverbium (de quo Eustathius *L. all.* & Schottus *in proverb. metric.* 1182.) χιασὶ τίλλειν quid sit, quid hic valere possit, equidem non satis intelligo. Acceperunt tamen verbum illud viri docti eo sensu, ut sit χιάζειν litteram Græcam X appingere; Athenienſium morem de quo diximus, inculcantes, ut sit χιάζειν, τὸ ρ litteræ affingere alteram χ. Sed non arbitror cogitasse adeo subtiliter Eusebium. Quare olim malebam pro χιαζομένης legere χιζομένης quod rem planam apertamque faceret, & sententiam nostram mire confirmaret: nihil enim aliud valeret, quam litteram P transversa linea, qua Crux fieret, dissectam esse. Nunc vereor sine librorum veterum auctoritate mutare aliquid; præsertim cum Nicephorus in Eusebio vulgato modo legisse videatur. Adjuvat tamen Nicephorus idem, qui cum Eusebii verba ipsa describere consueverit, ab eo nunc recedit; nec litteram X Græcam nominat, sed corona quæ monogramma continebat, dicitur ab eo συστέλλων τὸ P χιαζόμενον ideſt, ut ego interpretor, intra se P *dissectum* habuisse. Et hoc quidem dum cogito, succurrit mihi Justinus *Apol.* 1. *n.* 20. qui explicans Platonis locum *in Timæo* de mundi anima ἐχίασεν αὐτὸν ἐν τῷ παντὶ volensque a Mose esse mutuatum, profert serpentem æneum illum longiori ligno impositum, quod nimirum jussus a Deo sit ποιῆσαι τύπον σταυροῦ *Crucis figuram construere*: ergo hoc ex Græco isto antiquissimo Scriptore valet χιάζεσθαι, *esse in figuram Crucis compositum*, adeoque erit alterius Ecclesiastici Scriptoris Eusebii χιαζομένης τὸ P κατὰ τὸ μεσαίτατον, P *per medium in Crucis figuram dissecta*. Nunc non omnino Valesiana interpretatio displicet; siquidem & Baldus admonuit *quod Latini decussare, Græci* χιάζειν, *nostri a Cruce duĉto verbo dicunt* „ *incrociare* „: & Budæus ex loco Ciceronis *de univers. Decussare proprie per medium secare significat*.

FINIS.

VA1
1515272

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici

P. A. Silva Locumtenens, & Pro-Vicesg.

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Prædicator. Sac. Pal. Apoſt. Mag.